

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

23

DISPUTATIO METAPHYSICA,  
*De*  
**CAUSIS IN GE-  
NERE ET IN SPECIE**

*Quam*

*sub*

**Summi Numinis Auspicio**

*Et*

*Viri Praeclarissimi*

**M. SAMUELIS POMARII,  
Philosophicæ Facultatis Ad-**

**jecti dignissimi Præceptoris ac Fautoris  
sui devenerandi**

**PRÆSIDIO**


*Proponet publicè*

**JOACHIMUS Sigman /**

**Ruppin. March. A. & R.**

*In Auditorio Philosophorum*

*Ad diem Maji.*



**WITTEBERGÆ Excudebat Johannes Hake. M DC. LII.**





כנהל

DE QUATUOR CAUSARUM GENERIBUS IN GENERE & SPECIE.

Not quot unquam operam suam Philosophia, & praesertim illi, quam specularivam nuncupamus, dicarunt, id maxime egerunt, eoq; tanquam in scopum collimarunt, ut animum suum densa inscientiae rubigine exuerent, & contra purissima certissimaq; rerum scientia instruerent eundem. Scientiam autem dum sectantur, nil nisi causarum cognitionem sectantur, hanc enim ab illa & illam ab hac divellere, est hominem ab anima & corpore sejungere, seu ignem calore privare. Scientiam ergo rei homini adscribere, si causas ejus cognititas non habet, nefas duco. Causas rei autem cognoscere & quid causa sit ignorare, quomodo convenient, aliis judicandum relinquo. Videmus inde, agere de causis non supervacaneum sed summe necessarium in Philosophia esse; Quare etiam operae pretium duxi nonnulla de causis publico ventilanda proponere, quod dum aggredior. Causam illam omnium primam & ultimam, a qua & propter quam omnia, supplex adoro, ne adstantiam suam nobis deneget, sed gratia sua benigne nobis adesse velit, faciatque quo ad sacra sui Nominis gloriam verique indagacionem labor hic vergat. Implorato hoc Numine sequentes pono & ad excutiendum propono incies.

THES. I.

Agere de Causis spectat ad Metaphysicam.

Εξήγησις.

Nam I. Causalitas est attributum Entis, siquidem omne ens aut est causa aut causatum, & nullum est ens, quod non aliquid de Causae ratione participet. II. Metaphysica est

In genere.

A 2

sapient-



sapientia teste Aristot. 1. α. μετ. Metaph. c. 2. Sapientis autem est in causas inquirere. vid. Excellent. Dn. D. Jacob. Martin. Exercit. Metaph. l. 1. Exerc. 4. Theorem. 1. Et licet Physicus etiam de causis quodammodo agat, fit tamen nimis angustè, & tantum de causis Physicæ mutationis ipsi agere competit. Hildenius in Aristot. 2. Analyt. c. 11. Hinc Clarissimus noster Dominus Sperlingius: Causæ ratio, inquit, in Metaphysicis latissimè & abstractissime attenditur, in Physicis limitatè, contractè & restrictè l. 1. Instit. Phys. cap. 5.

THES. II.

**Causa est principium influens in esse causati;**

Εξήγησις.

Pro adæquato genere *Principium* agnoscimus, hoc enim secundum Thomam 1. Part. quæst. 33. dicitur id unde aliquid quocunq; modo procedit. Latius ergo patet quam causa & est quidem omnis causa principium, non vice versa. Differentiam sumimus à Ratione formali causæ, quæ consistit in influxu. Tria enim in quolibet agente consideranda. 1. Essentia. 2. Influxus, 3. Relatio. Influxus in medio consistit, & Enti ratione Causalitatis superaddit: Ubi adest iste, ibi adest causa, ubi abest ille, ibi & hæc. Cõmuniter quidè ex Svarezio solèt definire Causam per Principiũ, quod per se importat influxũ ad esse causati. At descriptio hæc angustior descripto est & causam per accidens excludit quæ tamen etiam causa est. Itaque si sic causa in tota sua latitudine definiatur, rejicimus, si vero ut descriptio potissimi analogati habeatur, excusamus & admittimus. Vid. pl. Rev. D. Scharf. disp. 2. Apologer. de causa per accid.

THES. III.

**Genera Causarum numerantur quatuor. Materia, Forma, Efficiens & Finis. Non plura nec pauciora.**

Εξήγησις.

Quia 1. tot sunt genera quæstionum. Aut enim quærimus, cujus

enjus gratia aliquid sit & est *Finis*, aut à quo, & *Efficiens* aut sex  
quo & est *Materia*. Aut per quod, & est *Forma*. II. Effecta  
pendent ex alio vel externo, vel interno, si pendent ex Inter-  
no, vel est subjectum; & *Materia*, vel est in subjecto & *Forma*.  
Si externo, id vel antecedit in esse, & est *Efficiens*, vel sequi-  
tur, & est *Finis*. III. *Causa* vel est essentia rei ut *Forma*. Vel  
essentiam defert, ut *Materia*, Vel eam pro ducit, ut *Efficiens*.  
Vel perficit ut *Finis*. Vid. Piccolomin. de rerum definitionib9  
pag. 107. Arist. l. 2. Phys. c. 7. Et 2. Analyt. c. 11. Non ergo fa-  
cimus cum Stoicis qui Seneca teste unicam tantum causam,  
nimirum Efficientem agnoverunt, nec assentimur Platoni-  
cis, qui quintam, scilicet causam exemplarem seu Ideam su-  
peraddere maluerunt, hæc enim non datur nisi in agentibus  
per intellectum, & agentia naturalia non utuntur *ἰδαίμων*  
Jac. Mart. Exerc. Met. l. 1. Exercit. 4. theorem. 2.

#### THESIS IV.

### Ordo Causarum non semper est idem.

Quoad nostram inventionem primum locum obtinet Ma-  
teria sine hac enim res non cadunt in sensum, secundum For-  
na, tertium *Efficiens* & quartum *Finis* Piccol. de rerum defi-  
nit: p. 107. *Forma* reliquis prior est ratione quidditatis. *Ma-*  
*teria* est prior ratione vetustatis & stabilitatis. *Finis* prior est  
ratione Motionis Metaphysicæ. *Efficiens* prior est ratione mo-  
tus veri & Physici, M. Libor. Caps. Patographia Entitativa E-  
lucidar. 27. Ordine dignitatis prima est *Finis*, secunda effici-  
ens, tertia *Forma*, ultima *Materia*.

#### V.

### Causa effectu suo prior est.

Ipse quidem sibi contradicere videtur Aristoteles, quippe  
1. Post. 2. dicit. τὸ αἴτιον ἀεὶ πρότερον ἢ αἴτιον, nihilominus ta-  
men. 2. Rhetor. 22. hoc canone utitur: ἀμα αἴτιον, καὶ ἢ αἴτι-  
ον. Verum *Causa* φούσε causato semper prior est, licet *χρόνω*  
sint simul. *Causa* etiam causato prior est quoad nostram

A 3

cogni-

cognitionem, simplicem nimirum, non sensualem, καὶ αἰσθητικὴν enim effectus notior est causa Meiss. Philos. Sobr. part. 2. sect. 2. quæst. Log.

VI.

### Qualis causa tale causatum :

Cum grano salis hic canon acceptandus est, non enim valet in causis æquivocis sed univocis, non in causis per accidens sed per se, non in externis sed in internis, non in universalibus, sed particularibus. Habet Canon locum in sphaera activitatis, non in latitudine essentiae. Ita consequentia est nulla: Pater est virtuosus. Ergo & Filius. Nec; Parentes suae homines sancti, Ergo & nati. Parentes enim non generant secundum primitias novitatis sed reliquias vetustatis, ut ait Capsius in Patographia Entit. Confer. Metaph. Exemplar. Excell. D. Scharffi lib. 2. cap. 6.

VII.

### Distinctio Causæ in Causam veram & causam sine qua non, minus adæquata habetur.

Primus τῆς αἰτίας ἢ αὐτῆς seu causæ sine qua non Avicenna creditur, quo duce Galenus etiam remotionem puri, causam sine qua non sanandi vulneris vocitare assuevit; sed κατὰ χρισμῶς & abusive hoc titulo insignitur, Causa enim sine qua non, causa dici non meretur, sic remotio puri non est causa sanitatis, sed remoto pure veræ causæ demum incipiunt operari. Hinc à quibusdam ἀφορμὴ, Occasio seu inclinatio vocari solet attestante Hæckero in clave Philos. p 424. Breviter causa sine qua non est causa non re sed nomine tenus vid. D. Jac. Mart. l. 1. Metaph. Exerc. 4. theor. 5. & lib. 2. Exerc. 9. theor. 3. Dn. D. Scharffi. Metaph. Exemplar. l. 2. c. 6.

VIII.



## VIII.

Causarum alia sunt Internæ seu productivæ, alia externæ seu constitutivæ.

Retinemus hanc *διχοτομίαν*, Omnis causa enim aut ipsam causati essentiam ingreditur, & ad effectum producendum intrinsecus concurrat, & in eo tanquam pars essentialis manat, & dicitur *Interna* ἡσὶ ῥώδης, συστάσεως & κατ' ἑσω. Aut extrinsecus ad effectum concurrat, & extra essentiam causati menet, quæ vocatur *Externa*, ὑπαρκτική. γενέσεως & κατ' ἔξω. Illud agere videmus Materiam & Formam, hoc vero Efficientem & Finem.

## IX.

MATERIAM definituri ejus ambiguitatē prius exponamus, utile est.

De Materiali,

Sumitur vox *Materiæ* 1. *Proprie & strictissime*, prout denotat essentialem alicujus compositi partem, & internum principium ex quo compositum est, v. g. lignum est materia in qua mensæ. 2. *Improprie & late* pro materia seu subiecto, ita paries est materia nigredinis. Et pro materia circa quam seu objecto, ut Ens quatenus Ens est materia Metaphysices, ita etiam analogice de Spiritibus & accidentibus usurpatur. Nos materiam priore modo acceptam jam ita definimus.

## X.

Materia est, principium internum ex quo aliquid fit eo pacto ut insit.

Materiam esse principium internum ex thesi octava liquet, & quidem tale principium ex quo aliquid fit. Notandum hic aliquid ex aliquo fieri aut esse, multis dici modis. *Propriissime* dicitur ex aliquo fieri tanquam materiaturum ex materia, ita ex farina fit panis. 2. Ex aliquo fieri vocatur id quod fit ex efficiente, & ita particula, Ex sumitur pro A vel Ab v. g. Filii dicuntur generati ex Parentibus. 3. Totum dicitur fieri ex partibus per compositionem. Ita homo est ex

cor-

corpore & anima rationali. 4. Partes ex toto per resolutionē; ut lapides sunt ex domo diruta. 5. Finitum ex fine, quomodo Logica originem habet ex indagatione veri. 6. Ex termino à quo ad terminum ad quem per successionem. Sic ex vere fit æstas, ex æstate autumnus, ex autumnō hyems. Ex non regenerato fit regeneratus. Arist. 1. & Metaph. c. 24. Dn. D. Jacob. Mart. Partit. Metaph. l. 7, sect. 8.

XI.

Nos Particulā. Ex hic accipimus in propriissima sua significatione, & dicimus Particulam hanc poni hoc loco tanquam propriam notam materiæ, in significato scilicet famosiori.

XII.

Non omnis materia est permanens, sed datur etiam transiens.

Transientem materiam vocamus, ex qua mutata, nec esse suum retinente aliquid fit. Seu quæ in generatione compositi ita mutatur, ut aliam formam induat & ipsa pereat. Hoc fieri videmus in ovo, ex quo generatur pullus, hoc esse suum planè amittit aliamque formam recipit. Permanens autem est & dicitur, ex qua aliquid fit, manente ejus essentia: Talis materia aurum est, ex quo poculum conficitur, essentiam enim suam aurum revera servat.

XIII.

Materia licet recipiat formam, tamen non solum patitur, sed etiam confert aliquid ad perfectionem rei.

Materia patitur. 1. Extrinsece Ab Efficiente, ad hanc enim refertur, sicut potentia passiva ad activam, & sicut mobile ad movens. 2. Intrinsecè ab ipsa forma, ad hanc enim se habet tanquam potentia materialis ad actum formalem, tanquam per-

perfectibile ad suam perfectionem, unde & subiectum, vehiculum & receptaculum formarum vocatur. *Agit autem materia, si totum compositum respicimus, quippe ad hujus respectum se habet tanquam causa ad causatum, nam in hoc consistit materiae causalitas. Capsius in Pathograph. Entit. E-lucidar. 28. p. 296.*

XIV.

**Forma est causa interna per quam res constituitur in suo esse.**

*De Formali.*

*Materiam sequitur Forma, quæ definitur Causa interna. Causa est, causalitatem enim suam duobus modis probat. 1. In materia quam actuat & perficit. 2. In toto composito quod in certa specie constituit. Differentia specifica reliquis verbis innuitur. Per quam res constituitur in suo esse. Tribus alias modis res in esse suo constitui dicitur. 1. Effective, uti omnes creaturæ suum esse ab ipso bonorum fonte Deo habent. 2. Formaliter, quatenus habet, ut sit hæc res & non alia. 3. Subjectivè, sic materia ad constitutionem rei concurrat. Media acceptio est hujus loci. Hinc forma Aristoteli 2. Phys. text. 28. dicitur λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι. It. λόγος τῆς οὐσίας. Huc etiam iste Canon tritissimus. Forma dat esse rei.*

XV.

**Forma extrinseca improprie dicitur forma.**

*Solent formam distinguere in Extrinsecam & Intrinsecam. Extrinsecam vocant Ideam: Hanc dicunt formam quam effectum imitatur ex intentione agentis, Et duplicem faciunt. 1. Realem quæ extra Efficientis mentem etiam existit. 2. Intentionalem, quæ non nisi in mente agentis est: Qualis est Idea Platonica, quæ quid proprie sit, varias definitiones & descriptiones videre licet apud Piccolom. de rerum definit. p. 45. Ast extrinsecam hanc formam formæ nomine indignam non immerito judicamus, potius enim est conditio & modus Causæ Efficientis, scilicet liberè agentis, quam forma nuncupanda.*

B

XVI.

## XVI.

**Forma multifariam distinguitur :**

Præcipuæ formæ distinctiones sunt sequenter, Forma est informans vel adiciens. 2. Naturalis vel artificialis. 3. Materialis vel materiæ expertis, vel etiam media. 4. Totius vel Partis. 5. Physica vel Metaphysica.

## XVII.

**Forma nec dividi nec à formato separari potest :**

Solum quantum in partes Essentiales vel quantitativas dividi potest, formam vero, cum non sit quanta, sic dividi non posse quisq; videt, licet in species dividatur. Nec se parari potest, alias certissimus sequitur & formæ & formati interitus. Ubi tamen animam humanam excipimus, quæ sola à corpore, ut formato suo soluta non interit.

## XVIII.

**Forma est principium non tantum essendi, sed etiam distinguendi & operandi :**

Sola forma est quæ *πρώτως* & *ἰσχυρώς* rem à re distinguit, licet *δευτέρας* & secundo plura alia dentur per quæ res distinguantur. Nec solum dat distinctiones sed etiam operationes, Compositi enim actiones à forma proveniunt, ita risus, locutio, visio, auditio &c. sunt à forma hominis, ab anima scil. rationali. Ast neget quis actiones provenire à forma, sed potius à suis facultatibus, sic visionem dicat esse à facultate visiva: Verum unde ista facultas? Certe non nisi ab anima. Dicimus ergo, à forma originem suam trahere operationes sed mediatè, immediatè autem à facultatibus activis. Suo itaq; stat talo vulgatissima Metaphysicorum Regula. *Posita forma, tria ponuntur, Esse rei, Distinctio, & Operatio.*

## XIX.

**Forma substantialis sensibus deprehendi nequit :**

Vide.

Videmus quidem sæpius operationes formæ, unde & ipsam formam cognoscimus, sed ipsa forma in se est & manet insensibilis. Est enim substantia, de cuius essentia est non incurrere in sensus vid. Scalig. de subtilit. Exerc. 101. distinct. 3. Hinc est quod proprias rerum formas earumq; nomina toties ignoremus; Cognitio enim nostra à sensibus incipit, quapropter acutissimus modo laudatus subtilitatum Magister scientiam nostram umbram in sole vocat Exerc. 307. d. 12.

XX.

**Forma substantialis nullos admittit gradus, sed est & manet invariabilis.**

Non augetur nec crescit forma, utpote quæ est substantia quæ non recipit magis & minus: Et verum illud vulgatum *Forma consistit in indivisibili*. Ea propter ingeniosè admodum Aristoteles formam comparat numero cui siue addas siue demas aliquid fit diversus. 7. Metaph. text. 7. Videntur quidem formæ sæpissime intendi ac remitti, at istæ remissiones & intensiones non ipsius formæ, sed tantum operationum sunt. Manet itaq; verissimum. Forma gradibus est invariabilis scil: ἀπλῶς & ratione essentia, licet non semper ratione subjecti.

XXI.

**Formas educi ex potentia materiae credibile non est.**

Formam enim nobiliorem materiae esse quis nescit? Causam a. effectum ignobiliorem statuere ἀπορον est. Quippe & Materia est principium scil. passivum, & Forma est principium scil. activum, unde qui Formas è potentia materiae educi asserit, is principia ex se mutuo gigni dicit, quod tamen incredibile, imo impossibile est.

XXII.

**Causa Efficiens est causa externa quæ primo producit effectum per veram actionem:**

Causas internas sequuntur externæ, quæ sunt Efficiens &

B 2

Finis.

*De Efficiente.*

Finis. Efficiens definitur per *Causam externam*, quippe effecti essentiam non ingreditur, sed extra eam manet: *quæ primo producit effectum per veram actionem*: quo distinguitur à Fine, qui quidem etiam causatur, at non per veram actionem, sed tantum per metaphoricam motionem. Agens enim à fine metaphorice movetur inquit Scal. Ex. 254. Causalitas ergo efficientis in actione consistit. Vocabulum *primo* hoc loco non tantum respicit causam illam omnium primam & independentem ipsum Deum, sed etiam innuit primum principium in tali genere & ordine causandi. Vid. Partit. Metaph. D. J. Mart. sect. 9. quæst. 1.

XXIII.

**Causæ Efficientis variæ dantur distinctiones:**

1. Est vel Principalis vel instrumentalis. 2. Naturalis vel voluntaria. 3. Præparans vel adjuvans vel perficiens. 4. Externa vel interna. 5. Totalis seu solitaria vel partialis seu socia. 6. Univoca vel æquivoca. 7. Privativa vel positiva. 8. Per emanationem vel per transmutationem.

XXIV.

**Causa efficiens manens eadem eundem semper producit effectum.**

Nota, easdem etiam tam internas quam externas debere manere circumstantias, alias, quibusdam modo variatis conditionibus, actiones etiam variant. Sic variato subjecto recipiente, effectus multum variatur, quicquid enim recipitur, per modum recipientis non imprimenter recipitur: Quod videre est in sole lutum indurante, sed ceram liquefaciente. Manentibus autem omnibus circumstantiis, vera etiam manet thesis nostra: Unde & scite Veteres: *Idem qua idem, semper facit idem*. Mutatis autem conditionibus & circumstantiis, locum habet Canon Aristoteles. *Idem potest esse causa contrariorum. 2. Phys. c. 8.*

XXV.

**Causa Efficiens ad causandum certas requirit condiciones.**

Tres aliàs numerantur condiciones ad causæ hujus actionem necessaria. 1. Ut id quod patitur sit certo modo diversum ab agente, scil: in actione transeunte realiter in immanente tantum secundum diversas potentias. 2. Ut patiens agenti sit contiguum & intra sphæram activitatis. Sic ego qui sum Witebergæ non possum videre illum qui Hamburgi est, virtus enim agentis eo pervenire nequit & est extra sphæram activitatis. 3. ut patiens agenti non sit simile, sed tantum proportionatum.

**Causa efficiens agit propter bonum & non efficit nisi bonum.**

Duo hîc asserimus. Prius est: *Causa efficiens agit propter bonum*, nam non agit temere, sed propter finem, Finis autem & bonum convertuntur: Et finis est quod maximè volumus, quod autem maxime volumus est maxime appetibile, Appetitus autem non fertur nisi in bonum. Si ergo omne agens agit propter finem, ut certe agit, aget etiam propter bonum. Alterum quod statuitur in thesi, est: *Efficiens non efficit nisi bonum*, per se scil: & *νυπίας*. Quia 1. Efficiens proprie ita dicta efficit effectum non toto genere à se diversum, adeoq; efficit Ens, Ens autem quia Ens semper est bonum & non malum, nisi in quantum deficit ab esse, ut videre est in monstro, quod non est naturæ effectus, sed potius defectus & *ἀμάρτημα* ejusdem 2. Mala culpæ per se non habent Primam Causam nempe Deum, Ergo nec secundam per se habebunt, utpote quæ à prima in agendo pendet. Hinc etiam voluntas suâ essentiâ in malum non fertur, nec Intellectus in errorem. Legi potest hac de re uberius differens, Pl. Rev. D. Jac. Mart. Exerc. Met. 6. theor. 5.

## XXVII.

Causa naturalis non impedita agit necessario & eodem modo, voluntaria vero contra.

Hoc est quod alias dici consuevit. Causa naturalis non potest non agere, voluntaria v. & potest agere & non agere. Sic ignis non impeditus non potest non urere. Lapis naturaliter non potest non ferri deorsum. Tales causæ naturales sunt omnia rationis expertia, quæ in causando sunt determinata, tum ratione effecti, tum ratione modi agendi, Causa autem voluntaria libera & indifferens est ad actionem.

## XXVIII.

Causa efficiens Instrumentalis, licet agat virtute principalis, tamen ad effectum causæ principalis una influit.

Quod si non influeret, indigna esset nomine causæ, suo itaq; modo etiam influit ad effectum, quia eadem actio tam Instrumentali quam Principali causis attribuitur. Unde recte dico. Oculus videt, quamvis visionis causa principalis sit anima, Recte: Fides salvat, licet *ἡ πίστις* Trismegistus ille salvet.

## XXXIX.

Instrumentum & medium commodè converti nequeunt;

Omne quidem instrumentum medium esse concedimus, sed omne medium instrumentum esse negamus; dantur enim media quibus efficiens in operando utitur, ita tamen ut illa nullum largiantur influxum, Sic sputum à Christo in restitutione visus adhibitum simul cooperatum fuisse quis dicet? *Job. 9. cap.* Baculum quo Moses in edendis miraculis usus, ad effectum influxisse quis affirmabit? *Exod. 14.* Gaudent ergo potius signi, quam veri instrumenti nomine. Reverend. Dn. D. Scharff. Theor: Transcend: disp. 10. Append. 4.

## XXX.



## XXX.

Finis vocabulum non unam habet significationem, ab æquivocatione ergo prius vindicandum. De Finali.

Finis Vocem in triplici significato à doctis usurpari, observatum est. 1. Denotat ipsam *corruptionem & interitum rei*, sic mors dicitur finis hominis. 2. *Terminationem rei*, ut punctum est finis lineæ. 3. Notat ipsam *causalitatem & intentionem*. Seu *mavis διχοτομίαν* Piccolominei, qui Finem accipi dicit. 1. *Latè & ita* opponitur Principio; quotuplex ergo est principium, totuplex excogitari potest finis. Ita datur finis motus, temporis & similium. 2. *Stricte & proprie*. Et sic sumus hoc loco finem consideraturi.

## XXXI.

Finis est causa externa propter quam Efficiens agit, quamq; sua actione intendit.

Causalitatem Finis geminam obtinet. *Unam* respectu efficientis, quam sui desiderio ad agendum allicit & movet. *Alteram* respectu mediorum, quibus amabilitatem conciliat.

## XXXII.

Finis non tantum secundum esse objectivum & intentionale, sed etiam secundum esse reale causat:

Finem causæ realis nomen mereri à multis negatum est, quorum argumenta, horumq; resolutiones videat, cui volupe est l. I. Part. Metaph. sect. 12. quæst. I. Dn. D. Jac. Mart. Nos causæ finalis realitatem probamus, quia 1. Definitio non tantum competit Fini prout in animo est, sed prout in re existit. 2. Is verus finis dicendus est, cujus præsentia replet appetitum agentis; At hoc non secundum intentionale sed secundum esse reale præstat.

## XXXIII.

## XXXIII.

**Finis distinctiones numerantur variæ.**

Præcipuè à Metaphysicis finis distinctiones observatæ sunt sequentes. 1. Finis alius est principalis alius minus principalis. 2. Est vel subordinatus vel ultimus. 3. Vel externus vel internus. 4. vel est finis & vel ò 5. Vel est opus vel operatio.

## XXXIV.

**Ad causalitatem finis requiritur ejus cognitio.**

Finis ut Causa necessariò debet esse cognitus, si non cognitione judiciofa & accurata, tamen qualicunq; , si non cognitione Rationali aut sensuali, tamen Naturali, ignoti enim ut nulla cupido, ita nulla causalitas. Ea propter finis non invenusta translatione *Scopus* dicitur *ὄπις ἔσχεπεν*. Et immotæ veritatis est regula Capfii : *Solum esse cognitum per se finali rat.* Sapient. Ideal. Elud. 27. Chrom. 9.

## XXXV.

**Finis per se & sua natura bonus est.**

Finis enim est id quod maxime volumus, quod a. maxime volumus, id maxime bonum, voluntas enim non fertur nisi in bonum, nec obstat sive sit bonum *ὄντως* sive *φανομενικός*. Quare subtilissimus Scaliger Ciceronem taxat, quod titulum suo operi fecerit : *De finibus bonorum & malorum Exerc.* 250. s. 1.

## XXXVI.

**Finis est præstantior mediis, non simpliciter, sed certo respectu.**

Præstantior est finis ob mediolorum dependentiam, quippe independens semper præstantius est dependente. Alias in dignitate essendi, & quoad essentiam absolutam media aut æque perfecta aut sine perfectiora possunt esse : Sic corpora cœlestia inferioribus sunt præstantiora licet horum causa sint creata. Tantum hîc de Causis.

✱(S\* \*S\*S)✱

Ung. VI 37


ULB Halle  
003 913 872 3




Sl.

V3 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

23

TAPHYSICA,

IN GE-

N SPECIE

is Auspicio

S POMARII,

acultatis Ad-

toris ac Fautoris

randi

O

blicè

S Sigman/

n. A. & R.

ophorum

aji.

annus Hake. M DC. LII.